

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

DE

**S P I L A N T H E  
O L E R A C E A**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS

DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

**DOCTORIS LAUREA**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM

**UNIVERSITATE HUNGARICA**

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**S. CSIKY de H. OKLÁND**

HUNGARUS TRANSYLVANUS.

1177

Inv. Nr. 117407

Theses adnexae defenduntur in Palatio Universitatis majori

die 22. April. 1826.

**PESTINI,**

Typis JOSEPHI BEIMEL.

18 JUN 1826

**Qui nitidos dentes habent, et ore bene olent, bene etiam Chylum  
praeparant in Ventriculo. O quanta conciliatur hinc faciei  
venustas! et quanta ducuntur inde ad morbos bene curandos  
indicationes!**

**Baglivius**  
**de Medicina Solidorum Canon. XV.**



ILLUSTRISSIMO

A C

MAGNIFICO DOMINO

**DOMINICO** E COMITIBUS **TELEKY**

DE **SZÉK.**

**V I R O**  
**SCIENTIA, HUMANITATE,**  
**ANIMI MAGNITUDE, ANTIQUITATE GENERIS,**  
**GLORIA MAJORUM,**  
**ET SUI MODESTIA AEQUE INSIGNI,**  
**MAECENATI**  
**SUMMO PERE AESTIMANDO,**  
**HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS**  
**IN PIAE VENERATIONIS AC PERENNIS GRATITUDINIS**  
**P I G N U S**  
**OFFERT**

**DEVOTISSIMUS**

*Auctor.*

**Illustrissime, ac Magnifice  
Domine Comes!**

**Maecenas summo Honore prosequende!**

**E**a quidem est Virtutis indoles, ut propriis contenta divitiis, laudis externae non indigeat: invitant nihilominus vires illius homines, ac quasi impellunt, ut exserant animi vota, nec arctis ea pectoris limitibus coerceri patiantur. Idem mihi innumera a Te, et ab Illustrissima tua Genitrice, nunquam satis veneranda, in me, et in Patrem meum collata Beneficia, memoria repetenti, contigit. Magna sane officii parte levatum me existimo, nactus occasionem, tenuibus his Studiorum meorum primitiis, Aegidi Nominis Tui munitis, gratissimum erga Vos animi Sensum, Sinceramque Venerationem palam profitendi. Faxit Deus, ut aliquando propitiore musa, minus tenui, maturioris aetatis, et uberioris Cognitionis fructu, digniore, cui Nomen **Telekyanum** praefigatur, possim singula-

rem utrorumque Benevolentiam imis infixam medullis, celebrare. — Nihil sane, vel mihi gratius vel dilectissimo meo Patri tot Pietatis Signis Vobis devincto amoenius possit evenire. Modo paupere non nisi de thure, litat dives voluntas, macris pagellis, eo forsitan solum nomine non despiciendis, quod Viri, tali e prosapia, a qua tot tantaque in rem Patriae literariam promovendam bona emanarunt, progeniti, nomen praefixum teneant. Servet Vos Deus incolumes. Servet Patriae, Litteris, Legibus, faxitque, ut permulta adhuc Secula floreat Illustre **Telekynum** Genus, ac sicut Avi Avorum, sic Nepotes Nepotum numerentur.

Gratissimus

*Auctor.*

---

## P r a e f a t i o.

---

**I**n hac Praefatione paucis monendum' duxi Lectorem benevolum, quonam momento adductus, pro argumento Dissertationis meae *Spilanthem oleraceam*, Pharmacum parum cognitae adhuc virtutis elegerim. Cum nempe iam absoluto Medicinae curriculo, pro Doctoris Medicinae laurea rite impetranda, Consilium redeundi in Patriam cepissem, novis partim Patris mei optimi, partim Avunculi dilectissimi (quorum Benevolentiae nunquam satis grato ore a me depraedicandae vivum, cor meum, et durabilius marmore Monumentum erit) suffultus auxiliis decrevi, mansurum me adhuc per aliquod tempus in Palaestra artis, operam praecipue Odontologiae navaturus. Perspexi enim olim, dum prima artis hujus elementa, duce Viro magni in Odontologia Nominis Domino Nobili **Carabelli** de **Lunkászpric** Celebrerrimo juxta ac Experientissimo, singularique in tractandis Aegris Urbanitate morum, humanitate, ac benevolentia conspicuo, imbibere, insignem hujus doctrinae de dentibus utilitatem, tamquam qui ad formam faciei decoram, ad vocem clare et eleganter pronuntiantem, ad primam denique assimilationem, tan-

tum conferant emolumentum. Sub hoc tempore inclaruit nomen **Tincturae Paraguay**, quae attentionem tanto magis videbatur meruisse, quod pro remedio fere specifico in Odontalgia habitum, et admodum celebratum fuerit. Cogitanti tandem de hoc Argumento, partes Spilanthis oleraceae chemicas, cum Virtute praedicata, conferenti, tentamina instituta mente expendenti, latior semper evasit sphaera valde angusta primum, olim, quantum conjicere fas est, in apertum Campum dilatanda. Condone Lector benevole! meas in aviis istis jugis, paucorum adhuc tritis Vestigiis titubationes, mihi que, et laboribus meis fave.





---

§. 1.

**P**lanta haec in America meridionali sub nomine *Kresse parensis* (*Kresse v. Para*, *Spanische Fleckblume*) noscitur \*). Planta haec, quae secundum *Clariss. Rousseau* \*\*). Americam meridionalem patriam agnoscit, et ideo *Cresson de Para* nuncupatur, secundum *Clariss. Wildenow* †) autem ex India Orientali originarie provenit, et ad plantas annuas pertinet, in hortis zonae temperatae crescit, si debita adhibeatur cultura, quae praecipue in eo consistit, quod pro planta locus arenosus eligatur, serveturque humide. — Caeterum variis haec planta insignita fuit nominibus. *Clariss. Sprengel* *Spilanthem oleraceam* distingvit a *Brasiliensi*, quae tamen distinctio non nisi diversae foliorum formae, staturaeque plantae magis vel minus erectae irradicatur. — *Clariss. Defontaines* ††) duarum varietatum in hortis obviarum meminit, quarum una flavos, altera vero fuscas flores, qua praecipuum characterem praefert, ultimam varietatem, qua Speciem singularem *Spilanthem fuscam* nominat. — Hae tamen varietates ad virtutes me-

---

\*) Richter, *Arzneimittellehre*. Suppl. Band S. 188.

\*\*) *Revue medicale*. Paris 1825 T. 2. pag. 92.

†) *Wildenow*, *Anleitung zum Selbststudium der Botanik*, herausgegeben von *Dietrich*. Berlin 1832.

††) *Catalogus plant. Hort. Reg. Paris* 1829. pag. 186.

dicas influxum non exerunt, imo *Spilanthes Acmella* L. *Spil. fuscus* L. *Spil. albus* L. eadem, sed tantum in minori gradu, proprietates habent.

### §. 2.

**Clariss. Sprengel** (in **C. Linnaei Systemate vegetabilium** editione decima sexta curante **Cl. Sprengel**) haec de *Spilantho Oleracea* habet. **Classis XIX. Syngenesia. Ordo I. Polygamia aequalis. Tribus II. Eupatorinae. Familia. Compositae.**

**Character generis. Vol. III. pag. 356.**

***Spilanthes* L. *Acmella* Cass. nec. Rich. *Anthodium* duplici serie *Receptaculum conicum paleaceum. Flosculi omnes tubulosi hermaphroditi (subinde radiales ligulati faeminei) Pappus aristis duabus brevibus. Character Speciei (ibidem pag. 444).***

**Oleracea L. *Bidens Acmelloides* Berg. *Bidens fervida* Lam. *Pyrethrum Spilanthus* Medic. Sp. radio nullo, foliis sub-cordato-ovatis, crenato-dentatis, Scabris, pedunculis solitariis, caule diffuso procumbente.**

### §. 3.

Juvat descriptioni huic aliam, quam **Nicol. Jos. Jacquin** dat, adjuungere. **Radix fibrosa et albida, caules plurimos dense emittit basi procumbentes, atque hic saepe radículas in terram agentes, ceterum ascendentes, ramosos, diffusos, teretes, pedales, scabriusculos, herbaceos. Folia sunt ex subrotundo ovata, obtusiuscula, serrulata, glabra, petiolata, opposita. Pedunculi terminales, atque elongati, per ramos ex axillis oppositis summorum foliorum postea prodeuntes, in dichotomo caule**

positi videntur. Flos solitarius, conicus, in principio superne depressus, tandem apice magis attenuatus, vel etiam difformiter desinens, odore caret omni. Calycis virentis et villosiusculi, foliola plerumque subaequalia, flosculi erecti flavent ex integro, corollae incurvae limbo quinquefido vel quadrifido, et singuli paleae oblongae concavae conniventi includuntur, sponte abscedenti una cum flore, seminibusque, ut receptaculum ex Conico oblongum tunc remaneat nudum. Semen solitarium, oblongum, compressum, vix marginatum, sed marginis loco ciliis albidis, ascendentibus munitum, quorum duo summi oppositi, multo plerumque longiores semen biaristatum efficiunt nigricans, paleae semi-inclusum, eodemque duplo longius. — Ad latus in icone exhibentur aucta palea sola, flosculus paleae inclusus, idemque inde exemtus, deinde semen in naturali magnitudine semen iterum et receptaculum.

#### §. 4.

In Frigidario horti botanici Regiae Scientiarum Universitatis Hungaricae quotannis colitur, et semet sponte propagat, sub dio provenit quidem, ast semen rarissime ad maturitatem perducitur. — Nihilominus quantum hic cura efficiat, docet factum: quod haec Planta aestate praeterita ibidem pulchre effloruerit, ad maturitatem pervenerit, et semina bonae indolis protulerit.

#### §. 5.

Plantam hanc primus *Lassa igne* subiecit *Analysi chemicae*, detexitque partes sequentes:

Oleum aetherium  
 Materiam amaram admodum aerem  
 — — extractivam  
 — — ceream  
 — — tinctoriam flavam  
 Substantiam gummosam  
 Calcem phosphoricam  
 Acidum Sulfuricum  
 — — Muriaticum et  
 — — Malicum  
 Potassam et  
 Oxydi ferri quaedam vestigia.

Occasione Analyseos a B é r a l et recentissime a Buchner instituta, nullum sub destillatione oleum aetherium transivit, et omnes partes constitutivae efficaces, videbantur, in massa quadam acri, molli, picea facile in alcohole solvenda, contineri \*).

Sed recentissima, anno elapso per Pharmaciae Magistrum Hirschwahl, instituta Analysis, eam Celeberrimi Lassaig ne confirmavit, detectumque Oleum aetherium ad plura Instituta misit, ut res ad liquidum deducatur. — Obtinuit hoc oleum aetherium solum destillationis ope e floribus \*) quod coloris dilute flavescens, odoris intensi specifici, saporis acerrimi fere urentis, et insignes vel in parva quantitate vires exerens.

### §. 6.

Medicus celeberrimus Hispanus Bahi adhibuit praecipue hoc Medicamentum, et scribit in Repertorio Med. Chir. di Torino de parando Elixirio, et simul de virtute ejus in affectionibus praecipue oculi Scorbuticis.

---

\*) Journal de Pharmacie. Paris 1831. T. 17. et Buchners Repertorium f. Pharmacie. B 38. pag. 368

Elixirium laudatum sequenti ratione parandum docet:

Rp. Foliorum Spilanth. oler. rec. contus  
 Unc. sex.

Alcohol 33° libr. unam.

Stent in digestionem per 12 dies, dein filtrentur, et usui servantur. — Dosis singularis secundum Bahi, consistit in guttis octo, mane et vesperi in sero lactis, vel Decocto Corticis Peruviani sumenda \*).

Caeterum ad parandum Elixirium, Bahi non tantum flores, ut recentiores volunt, sed et folia adhibuit.

Béral autem sequentia proponit Praeparata comendatione summe digna \*\*):

1. *Tinctura e floribus recentibus.*

Rp. Alcohol 35° Unc. XVI.  
 Flor. recentium Unc. XX.

Flores conquassati macerentur per horas sex, totum prelo subjiciatur, et filtretur.

Quantitas obtentae Tincturae summe acris, aequalis erit fere ponderi adhibitorum florum.

2. *Tinctura e succo expresso florum recentium.*

Rp. Alcohol 40°  
 Succi florum expressi, sed non filtrati  
 Ana Unc. XVI.  
 totum misceatur et filtrato addatur  
 Ticturae Nr. 1. Unc. XVI.  
 Carbonis animalis Unc. 1.

Misceatur iterum et per duas dies, saepius exagitando, servetur, et tandem filtretur novitus.

\*) Revue medicale. T. 2. Avril 1825. pag. 29—100.

\*\*\*) Vid. Buchners Repertorium Band 38. II. 3. S. 364.

Haecce Tinctura ab aliquo tempore nomine Tincturae odontalgicae de Para, insignita, et celebrata, minus amara et acris, ac praecedens est, nec digna videtur, quae ita, ac prima, celebretur.

### 3. *Condimentum cum Saccharo.*

Rp. Sacch. albi partes octo  
Tincturae Nr. 1. partem unam.

Misceatur exacte, siccetur in aëre libero, vel in camera siccatoria, et fiat pulvis.

Uncia una hujus Praeparati, repraesentat virtutes drachmae unius florum recentium.

### 4. *Syrupus de Spilantho.*

Rp. Syrupi communis partes octo.  
Tincturae Nr. 1. partem unam.

Coquatur sub leni caloris gradu usque ad disparitionem Alcoholis. — Syrupus hoc modo obtentus, frige fiat. — Uncia una ipsius, drachmae uni florum recentium, quoad partes efficaces, est aequiparanda.

Antea nonnulli Medici Succum e recentibus foliis pressum, ita, ut hodie Cochleariae, adhibuerunt.

## §. 7.

Si planta haec, recens, praecipue vero, si flores ejus dentibus conterantur, sapor inde singularis, et plantis omnibus fere syngenesticis proprius exoritur, qui simul sensum refrigerantem, Menthae piperitae proprium admixtum habet, exurgit simul pruritus in lingua, et in labiis, quem non quidem abominatur Natura, eundem nihilominus ingratus in ore sapor excipere solet.

## §. 8.

Medicamentum nomine *Paraguay Roux*, qua arcanum huc delatum, magnam in Gallia Italia et Hispania laudem sibi comparavit praecipue apud Plebem, quae in Odontalgiiis atrocissimis, ad illam, ceu ad sacram ancoram confugiebat. Constat modo, Medicamentum istud suam adeo celebratam virtutem, *Spilanthi Oleraceae* debere. — *Paraguay Roux* juxta investigationes Chemicas est tantum destillatum e floribus *Spilanthi Oleraceae*, odor, sapor, et effectus iidem sunt, ac *Tincturae Para*, tantum in gradu eminentissimo. — Remedium hoc denti perfecte sano admotum, sensum ibi caloris amoeni, quem brevi sensus aliquis refrigerans excepit, uberiores simul mucosae et salivae secretionem in cavo oris, si nempe pars quaedam superflua illuc pervenerit, excitavit, durantem per aliquot minuta; in dente adfecto eadem *Paraguay Roux* phaenomena exhibuit. — Id clare docet Pharmacum hoc diversa a narcoticis ratione agere, a maloque horum effectum non esse ibi metuendum, id quod partes *Spilanthi Oleraceae* constitutivae jam a priori pollicentur. — Primum igitur malum, in quo remedium hoc magnam meretur attentionem, est *Odontalgia*.

## §. 9.

Dolor vel a gingivis orditur, vel a periodontio, vel a tunica interiore dentis vasculosa, et nervea, vel a ramulo, aut nervo ipso dentibus maxillae lateris ejusdem prospiciente, vel partium istarum pluribus statim inhaerere videtur. A singulis profectus brevi plerumque reliquis communicatur. Non omni ergo *Odontalgiae* ea-

dem est sedes primaria. — Excitare Odontalgiam valent :

a) **Idiopathice** quaecunque gingivarum, periostii, nervi denti prospicientis, aut rami totius alveolaris, imo maxillaris inflammationi, aut irritationi majori generandae paria sunt, uti violentiae mechanicae, acrimoniae quaelibet chemicae, aëris, ciborum, potuumque mutationes repentinae, refrigerationes capitis, nec non totius corporis; denudato per cariem dentis nervulo, solus aëris, cibi, potuum etc. Contactus.

b) **Sympathice**, pedum, aliarumque partium refrigerium, adfectiones gastricae a saburris, vermibus, graviditas, excretionum, profluviorum, impetiginum suppressiones, crisis in morbis tam acutis, quam chronicis, turbae. —

c) **Symptomatice** rheumatismus, arthritis, syphilis, scorbutus, scrophulae, rachitis, nevroses demum variae, hysteria, et hypochondriasis. —

### §. 10.

Efficacia igitur nostri Remedii praecipue erit tentanda, et quidem qua pharmaci curae quoque radicali paris :

1) Vel maxime in **Odontalgia Scorbutica** non solum enim, multum hic ab illo qua remedio antiscorbutico erit expectandum, sed praeterea, qua specificè agente in dentes.

2) In affectione odontalgica originem debilitatae vegetationi debente: est enim inconfesso saburras, vermes, morbum nonnisi secundarium constituere, quibus sublatis, malum radicitus haud evellitur, imo durare consuevit pertinaciter, utut earum materialium morbosarum evacuationem rationalis therapia praecipiat, ut



sic Autocratia Naturae minus impedita, obeat munus suum. Cum igitur post evacuatas saburras, et vermes, opus sit vires digerentes collapsas erigere, tonum conciliare ventriculo, labentes hepatis, lienisque functiones excitare, his in casibus Pharmacon in Spilantho Oleracea egregium habemus.

3) In odontalgia rheumatica; magna enim cum verisimilitudine plus potest adhuc ab hoc remedio in odontalgia originis rheumaticae, quam in affectionibus aliarum partium rheumaticis expectari, ex hac quidem de causa, quod Experimenta hucusque instituta demonstrant, Spilanthem Oleraceam virtutem specificam in dentes exserere — Denique

4) Qua remedium Symptomaticum certe etiam in aliis odontalgiae Speciebus, ubi dolor magnus, pungens, summa inquietudo, non deerit hoc Symptomatibus minuendis. — Quin etiam in Carie dentis, postquam nervus nudatus per gossipium, ceram, lamellam plumbeam rite conformatam cavo dentis inductam, satis defensus esset, et ad sopiendum dolorem nec narcotica: puta Hyosciamus, Stramonium, Opium, Acetas Morphii, fumus tabaci, nec remedia per incitationem subitanam validam agentia, nempe: Oleum aethereum Cinnamomi, Caryophylli, Cajeput, Menthae piperitae, Terebinthinae, Naphtae Vitrioli, Liquor anodynus mineralis Hoffmanni, aqua Coloniensis etc. optatum effectum exserent — Pharmacon hoc, praecipue ejus Tinctura, ratione supra dicta parata, ope linteoli madefacti denti applicanda, omnem mereri videtur attentionem. Sane si oleum Menthae Piperitae persuaam substantiam aetheream, si Radix Pyrethri, Pimpinellae per sua aeria saepe mitigarunt Odontalgiam, plus adhuc a virtute Spilanthiis

Oleraceae, tamquam, quae virtutes Menthae Piperitae, et Radicis Pyrethri quasi junctas contineat, erit expectandum. Sane tentamina instituta clare docent, raro in odontalgia idiopathica, saltem mitigandis doloribus hoc remedium defuisse. Saepe spatio quinque minutorum cessabat dolorum vehementia, raro fuit necesse Medicinam saepius repetere. Ubi superficies dentium non est integra, sed inflammatione, carie etc. corrupta, ac desolata, ibi Tinctura haec ad aliquot guttas sic dicto boleto ignario instilletur, et ita cavo dentis adplicetur. Ubi dentis superficies integra est, vel plures compatiuntur, Tinctura ad guttas 15 — 20 aqua diluta summatur, et in ore teneatur \*).

Etiam celeberrimus de Carabelly meminit virtutis hujus Remedii odontalgicae. \*\*)

In Gallia quantum Paraguay Roux celebritatem sibi comparaverit, ex pluribus iisque praecipuis notum est Ephemeridibus.— Sic ex gr. Journal des Débats haec habet. Parmi les découvertes utiles à l'humanité, le Paraguay-Roux est sans contredit l'une des plus précieuses. L'efficacité de ce remède est telle qu'il suffit d'en imbiber un morceau d'amadou et de le placer sur un dent malade pour faire cesser à l'instant les douleurs les plus vives et les plus opiniâtres. Le Paraguay-Roux est aussi un puissant anti-Scorbutique. La marine française, trop souvent atteinte du Scorbut, s'empressera, n'en doutons pas, de le mettre en usage. Paris, la France et l'étranger, en réclament des dépôts,

---

\*) Vid. Journal v. Gräfe und Walther. Berlin 22 B. I. H. anno 1834 S. 50. §. 18.

\*\*\*) Vid. Systematisches Handbuch der Zahnheilkunde. Wien 1831 I. B. pag. 156 —

et proclament de concert ses bienfaits, dont un grand nombre de journaux deviennent l'écho à juste titre; espérons que cet élixir, nécessaire à un quart de la population. Soutiendra long temps sa belle réputation. —

Constitutionnel vero sequentia tenet. Paraguay-Roux spécifique contre les maux de dents, puissant antiscorbutique. Les médecins les plus distingués de la capitale le conseillent dans leur pratique habituelle; les malades de toutes les classes en font indistinctement usage; enfin tout Paris en parle: voila sans doute le plus bel éloge que nous puissions faire du Paraguay-Roux. —

Tandem in Quotidienne relatum legimus. Il y a quelque temps que nous avons annoncé le Paraguay-Roux et déjà ses heureux effets l'ont mieux fait connaître que tous nos éloges et ceux de nos confrères; nous le rappelons d'autant plus volontiers, que nous nous sommes convaincus par nous-mêmes de ses effets instantanés. —

Laudando huic remedio suam etiam Journal de Paris symbolam confert. Le plus bel éloge que nous puissions faire du Paraguay-Roux est de répéter ce qu'en disent les consommateurs de toutes classes, et que l'on compte par milliers. L'odontalgique de M. M. Roux et Chais, pharmaciens à Paris, est le seul qui réussisse d'une manière constante, et à l'instant même de son application; jamais remède ne mérita de plus justes éloges et une plus juste approbation de la part de l'autorité médicale, qui compte peu sans doute d'aussi précieux antidotes, et qui, par cela même, récompensera honorablement les inventeurs, qui deviennent si utiles à une grande partie de la société. —

Denique Journal du Commerce sic pronunciat. Le Paraguay Roux aequiera de jour en jour une réputation qui tient de la célébrité; non-seulement Paris accourt chez M. M. Roux et Chais, mais les provinces et l'étranger en demandent à l'envi des dépôts. —

### §. 11.

Insigne praeter haec, videtur fore remedium Spilanthes Oleracea in aliis etiam algiarum speciebus. Sic:

1) In *Gasteralgia*, probe a Gasteritide, ubi pariter magnus, imo in Gasteritide vere phlegmonosa multo atrocior dolor obtinet, distinguenda. Gasteralgia haec sensu anxietatis a Stomachi regione egredientis, respiratione molesta, quam alta intercidunt suspiria, dolore dorsali quandoque per thoracem et spinam ascendente, vomituratione, ructibus variis, cephalaea frontali, sensu lipothymiae instantis semet manifestat. Hic igitur adfectus, si constet illum characterem inflammatorium haud adsumsisse; saepe enim transit in inflammationem, ut fieri crebro solet in doloribus, si diu durent — Si ad mitigandos illos dolores a narcoticis sana indicatione vel parum expectari poterit, vel metuendum est, ne vis eorundem narcosin inducendo, debilitandoque organa vegetationi inservientia, plus noceat, quam prosit; hic inquam adfectus, summa cum probabilitate boni effectus tentamini cum hoc pharmaco instituendo, subjiciendus. Non enim semper morbum sistit Gasteralgia, sed Symptoma. Altius figit saepe radices, et melancholiae, hypochondriae, et hysteriasis phaenomenon constituit. Si igitur in his morbis, ut infra videbimus, dignus est Spilanthes Oleracea attentione, sine dubio etiam in Gasteralgia similis

originis. — Varietatem Gasteralgiae notatu dignam pyrosis (Soda; Sodbrennen) exhibet, quae est dolor ventriculi urens, quasi a flamma Oesophagum et fauces adscendente, cum sensu constrictionis in epigastrio etc. Nihil frequentius est apud practicos, quam ad sopiendum hoc malum, et ad involvendum, quasi humorem limpidum tenuem jam nauseose insipidum, jam acidum, et rancidum, aut amarum, imo acerrimum, qui eructari consuevit, magnesiã, lapides cancrorum etc. porrigere. Qua quidem ratione, ad summum, Symptoma tollitur, malo perseverante. Quando igitur constat e Diagnosi altioris originis esse pyrosim, nec solum ingurgitato intempestive ac inmodice cibo glutinoso, aut nimis pingvi, oleoso, rancido, putrido deberi, sed digestionis languidae, et imperfectae ex ventriculi debilitate, ac peculiari Systematis nervosi dispositione, qualis in chloroticis, hystericis, gravidis, hypochondriacis obtinere solet, esse adscribendam, tunc sane magnesiã et similia pharmaca non sunt apta curam radicalem efficiendi, sed agendum ad organa digerentia, ad hepar praeprimis magnum istud organon haematopoëticum, et bilis uberius, vitiosa, aut insufficiens, inordinata ejus ad ceteros humores digestorios admistio corrigenda. — Destituimur quidem adhuc experimentis super pharmaco nostro institutis, quorum ductu secure in hoc porrigendo incedere possemus; sed magna similitudo inter Radicem Pyrethri, et Menthae piperitae ab una, et ab altera parte inter Spilanthem oleraceam spem nobis affulgere jubet, brevi plura majoris momenti de virtute ejus innotescere.

Nimia totius Systematis nervosi mobilitas, cum universali, ut plurimum varii gradus debilitate consociata, rationem Gasteralgiae

proximam exhibent; ubi igitur praeprimis in individuis laxis, torpidis, debilitatis, ideo *Spilanthes oleracea*, palmam multis aliis remediis praeripere videtur, quod nec obtundat digestionem instar narcoticorum, nec excitet admodum, verum ope materiae extractivae amarae, roborando, ope salium, solvendo agat, ope olei aetherei, magnam cum Oleo menthae piperitae similitudinem habentis modice exhilaret. — Si individua admodum torpida, et excitans efficacius exigentia, praesto sint, optime poterit Tinctura hujus remedii cum Castoreo, vino, liquore anodino mineralis Hoffmanni, aethere sulfurico, liquore Cornu Cervi cum vel absque Tinctura Opii conjungi. —

2) *Enteralgia*. Si est inflammatoria, *Spilanthes Oleracea* materia sua acri, et oleo aethereo manifeste noceret. In flatulenta, verminosa, saburrali post evacuatas materias scopo promovendarum virium digestionis, et vasis roboris addendi, iterum magnam meretur attentionem.

### §. 12.

Adtentandas Vires hujus Remedii videntur adhuc praecipue sequentes algiarum Species pertinere.

a) Colica hepatica seu icterica, quae a vesiculae felleae ac ductuum biliferorum per Calculos felleos, bilemque retro accumulata distensione, pressione, irritatione proficiscitur, et tenuia intestina, prae crassis infestat. Hic morbus, nisi sit cum inflammatione stipatus, id quod Symptomata febrilia docent, lente procedenti functionis hepaticae debet originem; ut adeo sphaera Gangliaris sit excitanda, vis organica hepatis restituenda, cui praestando, si radix Pyrethri, sane multo magis *Spilanthes oleracea* apta erit.

b) Colica Nephritica seu renalis a calculo urinali pelvim renis alterutrius, vel ureterem distendente, irritante, laedente. Hic tanto plus a Spilanthe oleracea est exspectandum, quia diathesis rhachitica, scrophulosa, adeoque mala Systemati vegetativo irradicata hanc affectionem saepe praecedunt. Sed etiam in Symptomatibus quibusdam hujus mali, puta: cruris torpore, testiculi suspensione, dolore obtuso in regione lumbali sursum ad ventriculum, posset ab illo aliquod sperari adjuvmentum.

c) Colica sangvinea, a sangvine ad tractum intestinorum congestione per menstruum, lochiorum, haemorrhoidum fluxum insufficientem, aut suppressum orta. In plethoricis quidem noceret potius, quam prodesset nostrum remedium, saltem e partibus constituentibus concludendo; sed in personis laxis, fractis variis laboribus, vel pathematibus animi debilitatis, vetulis suam non videtur denegatura efficaciam, praepriis vero talis est

d) Colica sic dicta rheumatica, vel secundarie a partis cujusvis rheumatismo ad intestina converso, exorta. Probe tamen notandum, facile posse talem rheumatismum characterem inflammationis phlegmonosae prae se ferre; eum itaque a Spilanthe oleracea abstinendum erit. —

### §. 13.

Vix vero existit morbus in quo Spilantes oleracea majorem videatur exserere posse efficaciam, quam *Scorbutus*. Non tantum jubet hoc suspicari ac credere de eo Analysis chemica, et magna cum radice Pyrethri similitudo, sed exstant directae observationes, virtutem ejus in affectionibus scor-

buticis extra dubium collocantes. \*) Jam ante aliquot annos scripsit de Virtute Spilanthis oleraceae antiscorbutica Dissertationem medicus Gallus *Rousseau*, eamque Academiae Scientiarum Parisiensi exhibuit, crisi subjiciendam. Academia Parisiensis provinciam, hocce pharmacon uberius examinandi commisit Clarissimo *Cloquet*, qui simul laudatam *Rousseauvii*, Dissertationem recensuit. Tantum vero abest ut tentamina Rousseauvii virtutes Pharmaci hujus in lucem preferentia, post experimenta *Cloquet-ii* in dubium vocari potuerint, ut majorem potius nacta fuerint gradum probabilitatis. Testantur hoc praeprimis duae Vetulae, quarum affectio scorbutica multis antea, iisque saltem ut existimabatur efficacissimis remediis tentata fuit, quin optatus effectus redundasset. Tunc, adhibita fuit Tinctura parata e floribus Spilanthis oleraceae, quotidie mane ad dimidium cochlearis majoris in potu, vel decocto saponariae porrecta. Quoad usum in malo Scorbutico sequenti ratione commendatur Paraguay-Roux, in Scheda Parisiensi, qua Lagenula involvitur, adhiberi, ut nempe: vasculo tenui (Liqueur Gläschen) pleno boni vini, guttae duodecim instillentur, et dosis haec summatur, augendo hanc quotidie guttis tribus, et usque ad triginta sex adscendendo, quae deinde usque ad sanationem continuatur. Personae debiliores incipiunt cum guttis sex, et nonnisi ad viginti quatuor adscendunt. Experimentum hocce feliciter successit; utraeque enim Aegrae, spatio mensis unius, sanatae fuerunt. — Observatio, quod Aegrae hae, decrepitae aetatis erant, innuit, remedium

---

\*) Richter Arzneimittellehre Suppl. Band. S. 188.



hoc praecipue in Individuis laxis, torpidis, debilitatis prodesse. — adeoque donec uberiora tentamina innotescant, a priori quoque potest affirmari, non omnes Scorbuti species, sed praecipue cum insigni laxitate procedentes esse eas, in quibus a virtute Spilanthis Oleraceae auxilium exspectari possit. —

#### §. 14.

Clarissimus *Raimann* Scorbutum refert ad Cachexias, cum praedominantibus assimilationis vitiis — adeoque ad Cacochymias, et dyscrasias; cui sententiae physiologico-pathologicae, omnes fere celeberrimi in medicina Viri, subscribunt. —

#### § 15.

Juxta vero diversos gradus, quos transit, juxta diversas causas excitantes, constitutionumque varietatem, varios, sicut alii morbi, ita etiam scorbutus prae se fert characteres. — Incedit, morbus in initio cum lassitudine in consveta et inertia, magnus adest ponderis, et torporis in extremitatibus sensus, saepe genuum rigiditas, dyspnoea, animi dejectio, hebetudo visus, facies pallida, flavicans, aut sublivida, cutis cachectica, terrea, sicca, notata maculis profunde rubris, aut lividis. Sapor jam in primo Stadio saepe ingratus, putridus, dysorexia, appetentia, vegetabilium recentium, oesophago circa malleolos, gingivae laxae, pulsus afebrilis, debilis, parvus, mollis — Phaenomenis his adprime expensis, partibus item pharmaci nostri constituentibus praecipuis, quibus illud virtutem suam debet, consideratis, facile innotescit vel in ipso principio scorbuti, tamquam morbi, Vitiis humorum irradicati, non exiguum ab illo posse levamen exspectari. Sed si reputamus magnam, Spilanthem oleraceam cum radice Py-

rethri, quoad saporem, odoremque, partes item constituentes habere similitudinem: convincemur, tunc sperandam ab illo maximam efficaciam, cum malum, ipsa jam organa digestionem et assimilationem inservientia, adgressum est. -- Clarissimus *Richter* \*) dicit de radice Pyrethri, eam modice porrectam, digestionem adjuvare, calorem amoenum excitare in ventriculo, ad Sphaeram potissimum gangliarem agere, indeque suam efficaciam per universum Systema nervosum extendere. Hinc concludi potest, tunc praecipue profuturum esse Spilanthem oleraceam in primo Scorbuti stadio, cujus phaenomena modo enumeravimus, cum digestio prostrata, tensio in regione hypochondriaca, dysorexia, in conspectum semet proferunt. —

#### §. 16.

Tanto autem firmiori consilio possumus hoc Pharmakon in Scorbuto adhibere, quod plane hic sit ille morbus, de quo vel ipse reformator Gallus *Broussais* confitetur, illum inflammationibus non posse adnumerari. Cum nempe Vir ille Celeberrimus eruditione quidem haud vulgari, sed limites, quos ultra citraque nescit consistere rectum, tenere nescia, fere omnes adfectiones morbosas ipsam hypochondriam, melancholiam, nevralgiarum varias species inflammatorii characteris esse statueret, fatetur de Scorbuto illum morbum esse humorum. Non igitur metuendum est, Oleum Spilanthidis, Oleraceae aethereum, vel materiam acrem adjuvare inflammationem, quae in Scorbuto qua tali morbo, necquidem ad mentem eorum, qui ubique inflammationes cogauerunt, et sanare volunt, existit. — Caeterum vix est monendum

\*) Arzneimittellehre B. 2. S. 152

tenuia Scorbuti initia vel sine nostro remedio, partim Diaeta vegetabili, partim largiore, partim locis madidis, paludosis etc. relictis, partim animi pathematibus deprimentibus mutatis facillime ut plurimum sanari. —

### §. 17.

In secundo stadio Scorbuti sequentia semet offerunt phaenomena: musculorum durities, rigiditas, et ardua mobilitas articularum imprimis genuum dolentium, et quemadmodum in tumore albo tumidorum, dolores femorum, lumborum, dorsi et vel maxime genuum, rheumaticis analogi, echymoses in locis antea nonnisi maculosis, ulcera in femoribus et suris laxa, fungosa, sanguinem dissolutum et saniem foedam fundentia, pulsus lentus, debilior quam in Stadio primo, et afebrilis, urinae bruneae, turbidae haemorrhagiae e gingivis, naribus, aut haemoptoë, haematemesi, haematuria, diarrhoeae cruentae, aegrorum sub intensionibus, imo motibus levioribus lipothymiae — Licet in hoc Stadio gravissima occurrant Symptomata, dyscrasiam humorum maximam indicantia, adeoque potentioribus, quam Pharmacum nostrum constituit, opus esse videatur remediis, qualia sunt praecipue Acida mineralia, et acidum pyrolignosum, unicum ad tollendum foetorem intollerabilem, remedium, nihilominus ad juvandam imprimis labefactatam digestionem Spilanthes oleracea suam summa cum probabilitate exseret efficaciam. Etiam in doloribus istis lumborum, dorsi, etc. posset aliquid ab illo expectari; si quidem illi, monentibus medicis experientissimis, doloribus rheumaticis, ubi virtus Spilanthis oleraceae jam innotuit, multum analogi sunt. —

## §. 18.

In Stadio tertio Scorbuti est debilitas extrema, paralyti proxima, lipothymia; quandoque convulsiones, orthopnoea, frigus, color lividus, aut nigricans, macies, paralytes extremitatum; aliquando icterus, hydrops; tandem Symptomata febris putridae comparent, ita nihilominus, ut pulsus parum sint frequentiores. — In hoc Stadio, a nullo quidem jam magnum posse sperari remedium, facile perspicitur; nostrum vero plane insufficiens esse nemo negaverit, qui meminerit in confinio morbi organa digestionis dicata non amplius posse refocillari, et quemadmodum in febre putrida manifeste nocerent illa, quae tunc dirigerentur ad vegetationem sublevandam, cum ibi vis organica fere jam mortua est; ita etiam in agone Scorbutico. Acida mineralia, si aliquid, possent nimio nisui humorum ad dissolutionem resistere. Etiam in Ophthalmia Scorbutica, praecipue in Italia, et Gallia celebrantur boni hujus remedii effectus \*)

## §. 19.

Vix minoris virtutis, quam in Scorbuto, si nempe morbus hic phaenomenis talibus occurrat, quae usum illius non contra indicent, credendum est fore Spilanthem oleraceam in nonnullis hypochondriae manifestationibus. Vel maxima pathemata animi non merentur nomen hypochondriae, si sphaera gangliaris in sua functione obeunda adhuc persistit, quamvis fatendum sit, magnam esse affini-

---

\*) Handbuch der Medicinisch-Pharmaceutischen Botanik von Dr. F. H. I. R. Ludw. Nees von Esenbeck und Dr. Carl Heinrich Ehermaier. Düsseldorf 1831 II T. S. 728.

tatem, quae inter Sensorium commune, et nervum sympathicum maximum obtinet, saepissime, adfecto primo, ultimum in compassionem trahi, lente procedere circulationem in parenchymatibus organorum abdominalium, congestiones fieri in Vena portarum, lienem, Organon hepatis, in Sangvine phlogistico privando praeludens, in munere suo turbari, variisque mala e centro Gangliari versus diversas corporis partes extendi, quae revera proteiformia sunt, et quibus sanandis, vel mitigandis frustra saepe Medici experientissimi operam navarunt. Ingens semet hic aperit campus physiologicus, pathologicus, therapeuticusque, ita quidem, ut saltem Symptomatically diversissimae indolis pharmaca adhiberi debeant. In his remediis curam radicalem expectandam esse, quae vel crethismum systematis nervorum abdominalis ita frangant, ut narcosim haud efficiant, vel torporem ita excitent, ut irritatio, justo major, aut inflammatio, non exoriat. — Medici antiquiores qui acrimoniis in sangvine, ut opinabantur, obviis multum tribuebant, melancholiae, hypochondriaeque fontem in illis quaesiverunt; sed quod pathologia recentior vix aliquam in partibus constituentibus sanguinis mutationem detegere valens explosit. — Multi e recentioribus vix putant fieri adfectionem, quocunque nomine insigniendam organorum, quae Sympathicus magnus providet, ac regit, quin ibi latitet aliqua inflammatio. — Sane hoc stante principio arctis deberet coerceri limitibus campus Pharmalogiae, omniaque fere, in quibus materia acris, vel oleum aethereum deteguntur, ac noxia eliminari; methodus contra Antiphlogistica dominaretur. Huic Systemati nihil magis repugnat, quam con-

stans experientia, quam plurimum prodesse ejusmodi remedia, quae non antiphlogistice, non deprimendo vi sua narcotica agilitatem nervorum, sed revera irritando agunt, quin in ipsis etiam inflammationibus minus phlegmonosis irritatione est saepius opus, ut auctoritas organi par sit malo superando, nec illi succumbat, id quod praecipue in vulneribus, medicamentorum irritantium optimus effectus clare docet. — Mihi quidem, ut obiter moneam, licet stricte ad rem pertinere haud videatur, triplex videtur obtinere gradus irritationis; primus gradus tunc, cum ex duobus factoribus, sanguine nempe, et nervis, prior ita praevalet, ut irritatio verae inflammationis, per eminentiam sic dictae, caractere insigniri debeat, calore, rubore, tumore, dolore, pulsu item febrili semet manifestans; cum igitur cura antiphlogistica potentissima exigitur; Secundus gradus, cum nervorum erethismo tanquam factori praevalenti innititur irritatio, inflammationis erethisticae nomine nota; in qua debellanda saepe narcotica, saepe vero, fractis jam organismi et organi affecti viribus, majori minorive irritamento amoenum excitantia sensum, et vires refocillantia. Tertius gradus irritationis est ea irritatio, quam lymphaticam vocant, ubi nempe vasa secernentia agitata supra modum, abnormi quantitate secernunt humores, ut plurimum etiam quoad qualitatem mutatas. In hocce ultimo gradu si secundum circumstantias modo lenientia emollientia, modo narcotica, modo Calomel sunt adhibenda, sunt etiam casus, in quibus pharmaca acri, oleo aethereo praedita laudem sibi vindicant. —

### §. 20.

His praemissis, facile patet nihil esse metuendum quod a Medicamine nostro in indivi-

duis hypochondriacis, valde sensilibus, tensiones dolentes in regione dextra vel sinistra infracostali percipientibus, adhibito, majus aliquod malum eveniat. Imo sublatis primum ope solventium, taraxaci, saponariae, tartari emetici refracta dosi adhibiti etc. Si adfuerint, emphraxibus hepaticis vel splenicis, secure ad materias acres, junctas oleo aethereo, poterimus confugere. Radicis Pyrethri boni effectus talibus in casibus noti sunt. Sed et de ipsa Spilanthe oleracea habemus directa tentamina. Clarissimus *Richter* (Arzneimittellehre Suppl. B. S. 188) asserit post *Bahi*, plantam hanc in Hispania coli in hortis, et vel Tincturam parari ex illa, vel vero folia recentissima pro adjuvanda digestionem masticari. Tinctura sequenti ratione paratur: Decerpta folia ad Uncias quatuor, cum libra una alcoholis per 12 dies digeruntur, tunc fit Collatura. Tinctura haec cum Decocto Corticis Peruviani optime sumitur. — Monendum tamen est, fere idem valere de hoc remedio, quod Clarissimus *Richter* \*) de radice Pyrethri dicit, quod scilicet, facile ardorem in ventriculo, vomitum, et diarrhoeam excitet, ut adeo caute cum hoc remedio mercandum sit, et ventriculo sub digito admodum sensibili valde irritato facillime nocere. --

Idem valet etiam de hysteriasi. Celeberrimus *Haase* in opere suo de morbis chronicis, affectionem hanc a proprie sic dicta hypochondria probe distingvendam existimat. Quamvis tamen in hysteriasi organon proprium, puta: Uterus, proprio caractere hysteriam notet, eamque adeo a hypochondriasi discriminet, est tamen consentanea Medicorum observatio, per-

---

\*) *Arzneimittellehre* B. 2. P. 253.

sonas hystericas, ut plurimum vitio Organorum vegetationi inservientium laborare, Sphaeram Gangliarem ita erethisticam habere, ut sicut ex. gr. Oculus male adfectus vel levi irritatione pejus fit, sic Sphaera ista vel levissime, cibis digestu difficilioribus, potu minus conveniente etc. irritata, excitatur quasi, statumque sui abnormem ad Sensorium commune extendit. Ut adeo non sit credendum simili in casu semper inflammationem nescio quam ibi adesse, imo modo solventibus, modo roborantibus est opus, quibus indicationibus satis faciendo, nec nostrum Pharmakon deerit, praecipue ubi torpida, laxa, valde debilitata individua curanda venient. —

### §. 21.

In febris intermittente, ubi, ut longus usus docuit, amara sic dicta aromatica, plurimum ad Sphaeram gangliarem ad statum normalem reducendam conferunt, remedium nostrum, his plane praeditum principiis, commendari, jam a priori meretur. Habemus quidem in Sulfate et Muriate Chininae Specificum antifebrile, sed ea etiam contra indicantur saepe, amat praeterea redire febris intermittens post illorum remediorum usum, id quod docet Symptoma magis, quam ipsum radicalem morbum ope eorum fuisse sublatum. — Cum igitur radix ipsa febris intermittens evellenda erit, sana indicatione absentibus praecipue emphraxibus, multum a Spilanthe oleracea poterit expectari.

### §. 22.

Cachexia virginum, seu Cachexia Chlorotica morbum constituit, ubi a remediis haemato poësi augendae et corrigendae inservientibus praepriis multum est expectandum. Duae vero



a Clarissimo *Puchelt* \*) species Chloroseos distingvuntur. Prima originem suam directe defectui sanguinis debet, Chlorosis proprie sic dicta, vera, simplex, quae apud puellas juniores tempore pubertatis occurrit, cum qua pubertate evoluta, jam vires organicae aequo passu incedere non valent. Educatio mollis, negligens motus necessarios corporis, et psychen rebus unice phantasiam excitantibus occupans, affectiones animi deprimentes etc. huic malo ansam praebere solent. Tunc igitur respirationis processus, haematopoësis, robur musculare, vires vegetativae pessumdantur, et remediis opus est tonum muscularem functionemque vegetativam restituentibus. Sane si ferrum, cum variis illius praeparatis, summam in hoc morbo laudem meretur, ubi nempe liber illi transitus per vasa lymphatica patet, nec obstructions, princeps illud remedium contra indicant; in istis casibus, ubi non tantum in hoc est laborandum, ut cruor amissus Sanguini restituatur, sed simul systema nervosum amoene excitandum est, et praecipue Sphaera gangliaris incitanda venit, a *Spilanthe Oleracea* non mediocre possumus sperare efficaciam. Varias sane, eaeque efficacissimae partes constituentes concurrunt in hoc medicamine, quae plane in Chloroseos hac specie plurima bona pollicentur. *Oleum volatile* \*\*) excitat nervos instar olei menthae piperitae, quod tamen irritamentum a materia acri amaricante egregie coërcetur, nec adeo erethismum facile secus excitandum, provocare potest. *Calx phosphorica* penetrat in parenchyma organorum, solvendo, excitando

\*) Das System der Medicin v. Dr. Friedr. Aug. Benjam. Puchelt. Heidelberg 1831. 3. B. pag. 788. et sequent.

\*\*) Vide Supra *Analysin Clarissimi Lassaigue.*

agens. Acida, sulfuricum, et muriaticum laxitati vasorum, ac muscutorum contra nituntur, copiam excedentem seri sanguinis immutando, et augendo quantitatem cruoris. Acidis his mineralibus ne virtus earum limites excedat, adjunxit natura, quasi antagonisticum remedium solvens, acidum vegetabile, acidum nempe malicum. —

### §. 23.

In altera specie Chloroseos, ubi color faciei non albus instar cretae, sed flavidus, luridus, nigricans conspicitur, et abdomen tensum, tumens esse solet, faeces lantae, parcae, sed ubi nutritio minus quam in priori specie prostrata cernitur, pulsusque saepe plenus, et magnus est, in primis saltem Stadiis, minor a Spilanthe oleracea expectandus est bonus effectus, cum metuendum sit, ne vi illius, roborante quidem, sed contrahendo agente, obstipationes in abdomine, haemorrhoides, congestiones etc. exoriantur. Sed recte monet Celeberrimus *Puchelt*, hanc speciem Chloroseos si diutius duret, sensim, Characterem prioris adsumere, non tantum, sed abire in venosam hanc Chlorosim, in degeneraciones lienis, hepatis, glandularum meseraicarum, ovariorum, uteri, in ulcera pulmonum tuberculosa, quae ideo cum Cacoehymia scorbutica magnam affinitatem habeant; quod illas saepe reipsa scorbutus sequatur. Cum igitur, tali jam caractere notata incedit Chlorosis venosa, Spilanthes oleracea tentamen cum ipso instituendum, sub spe optima meretur. —

### §. 24.

Restant adhuc aliquot morbi, in quibus multum Spilanthes Oleracea, partium constituentium in respectu habito, pollicetur. Febris nem-

pe nervosa, et putrida. — Sane vix existit morbus de cuius indole tantum Medici, quantum de characterem vero febris nervosae disputassent. Multi, iique praeprimis inter recentissimos, negant tales febres sine alicubi latitante inflammatione, occurrere. Quomocumque sit, fatendum, quod quamvis Methodus irritativa in nullo fere morbo tantum infelicia exitus effecerit, quam in febribus nervosis: consentiunt nihilominus celeberrimi Practici, esse Stadium huius morbi, ubi plane irritantia respondent scopo, eaque negligi non possint. — Clarissimus *Richter* laudat effectum Radicis Pyrethri in morbis typhosis, id quod spem nobis affulgere jubet de Spilanthe Oleracea plus adhuc praestitum iri, quam laudatum Pyrethrum praestare valeat. — Abstinendum quidem ab illo etiam in febre nervosa, ubi clara inflammationis latentis semet offerunt indicia, pariter in febre nervosa magno erethismo incedente, ubi oleum aethereum, quod illa continet, calcar adderet Systemati nervoso, sed ubi torpor insignis adest, ubi non solum directe ad nervos, sed etiam ad vasa agendum est, illisque tonus addendus, ergo ubi pulsus ut ut valde frequens, et forsitan etiam plenus, sed non durus est, ubi metuendum ne collapsis jam jam nervorum viribus, ad reliquae etiam Systemata extendatur debilitas, tunc Spilanthes Oleracea principibus remediis est adnumeranda. Non enim est necesse ut hoc remedium instar Chinae (saltem si china in substantia vel decocto porrigatur) solum per organa digerentia suum effectum exserat, adeoque vel illis jam fractis, multum ab illo expectari poterit. —

## §. 25.

Plus adhuc de *Spilantho oleracea* in febris putrida sperandum. Ea enim est haec febris continuae species, quae systemati sangviferi irritationem, cum debilitate vitae universali, et humorum ipsius, speciatim sangvinis in dissolutionem (putredinem) nisu conjunctam exhibet. Ita nihilominus, ut malum latius serpat per organismum, vel saltem ab eminente adfectione topica organismus immunis sit. Notandum vero, ut de pharmacis, quae hic proficua esse possint, judicare valeamus, febrim putridam, juxta observationes Clarissimorum Viro- rum simplicem, et puram rarissime occurrere, sed plerumque cum statu nervoso altioris gra- dus incedere: ut adeo fere semper, febris pu- trido-nervosa nominari debeat. — Nec hunc morbum existimant multi sine inflammatione occurrere, et etiam ubi cum statu gastrico-sa- burrali, bilioso, pituitoso, cum exanthemati- bus acutis copulata conspicitur, dicunt alicubi latitantem debere existere inflammationem. Cum hujus ultimae clara manifestantur phaenomena, ab acribus aethereis, acidis minerali- bus utique abstinendum; supposito simul, esse adhuc sufficientes vires in organismo, quae possint, imo debeant imminui antiphlogistice. Si enim ad resolutionem omnia tendant, et autocratia naturae impar est locali cuidam malo utut quasi iuflammatorio (phlegmanosa enim inflammatio jam tunc existere non posset) supe- rando, tunc vel ipse cortex Peruvianus, modo alia contra indicatio non adsit, poterit adhiberi. Essentia febris putridae consistit in solidarum, fluidarumque partium praecipue sangvinis nisu in resolutionem, et hic nisus tantus est non- nunquam, ut vel partes in conjunctione adhuc

cum organismo existentes, facile a putredine, vel gangraena corripantur, aliae vero tunc tantum subeunt hanc mutationem, cum separatae sunt a vivo corpore. Hic status ut bene monet Clarissimus *Puchelt* \*) dyscrasiis est adnumerandus. Acida mineralia, sulfuricum, ac muriaticum in nostro remedio, tanto plus praestabunt hic, quod oleum aethereum sibi junctum contineat, — adeoque ad nervos simul Systema maximi momenti et vitam organicam non minus, quam animale dirigens, agere possint. Tanto magis potest in hoc morbo *Spilanthes oleracea* maxime commendari, quod Corticem Peruvianum inflammationes, et sordes gastricae adhuc magis, quam istam contra indicant; et quod monente Clarissimo *Puchelt* pulvis Corticis in hoc morbo (qui si contra indicatus non sit, maxima efficacia operatur) nunquam fertur ab aegris, decoctum raro, infusum vero non habet sufficientem virtutem; extractum Corticis responderet utique expectationi, sed integrum non habetur semper.

### §. 26.

*Spilanthem Oleraceam* adhiberi in Arthritide a Plebe in India occidentali, et etiam in Spania, vel crudum, vel decoctum, relatum legimus \*\*). Et huic rei elucidandae non deest theoria. Natura quidem arthritidis revelata nondum innotuit. Tamen ortus ratio, evolutio successiva, Symptomata, decursus, et crisis morbi, adfinitas ejus cum malis biliosis, febri biliosa potissimum, hujus uti intermittentis

\*) Vid. in opere citato. B. 3 p. 806.

\*\*\*) *Journal der Chirurgie und Augenheilkunde von Gräfe und Walther.* Berlin. 22. B. 1. Heft. 8. 50. §. 18.

biliosae in symptomatibus gastricis concordantia, transitus februm biliosarum perperam tractatarum in Arthritidem, summe probabile reddunt, Arthritidem a plethora abdominis, praesertim venae portarum, ideoque a bilis abundantia praeparari, et modo essentiali dependere, et a speciali digestionis, et sanguificationis laesione, adeoque ipsi abnormi Systematis vegetativi statui irradicari. Non est quidem in confesso, nec in praesenti adhuc physiologiae et pathologiae statu esse potest, in quo ista secretionis alteratio consistat, quam habeat rationem proximam, quomodo inde febris arthritica, et articulorum inflammationes, adeoque ipsa Arthritis generari possint. Hinc Clarissimus *Haase* \*) ne talia, quae ulteriore dilucidatione opus habent, in re adeo obscura proferre cogatur, causae proximae Arthritidis investigandae semet subducit; agnoscit tamen malum Systemati reproductivo specialius inhaerere. — In Arthritide acuta, caractere inflammatorio eminentius stipata, Spilanthus oleacea nimium irritaret, sed in chronica, scopo vehementiae morbi, ex abnormitate Sphaerae vegetativae propullulantis, agendo ad vasa abdominalia, sphaeramque gangliarem radicaliter quantum fieri potest contranitendi, omnem meretur attentionem; quin etiam symptomatice ad dolorem arthriticum atrocissimum mitigandum multum juvare potest. Artus enim dolentes inflammati non frigide, sed tepide teneri debent, et cum fortior inflammatio deest stupa cannabina, vel linea, vel strophio lineo bene siccato, calefacto involvendi sunt, fomentis humidis emollientibus, vel cataplasmatibus tan-

---

\*) Von den chronischen Krankheiten. T. II. p. 213

tum in vehementiore inflammatione adhibitum<sup>\*)</sup>). Sudor vaporosus universalis, et urinae criticae, quantum circumstantiae permittunt, ac exigunt, leniter irritantibus perficiuntur, quale irritans in pharmaco nostro non tantum partes constituentes evincunt, sed ipsa etiam experientia, quatenus, ut supra monitum fuit, dentibus sanis adhibitum, lenem ibi, nec inamoenum sensum caloris excitat. — Arthritis quidem pertinet ad morbos curam medicorum ut plurimum eludentes; sunt tamen remedia, quorum virtus non inmerito inclaruit, et prosunt modo stases, et intumescencias solvendo, modo circulum regularem restituendo, modo systema nervosum pacando, modo mutando massam humorum, secretionem bilis restringendo, ad organa uropoëtica, et ad systema cutaneum agendo. — Cui jam ex his multifariis indicationibus *Spilantes Oleracea* praeprimis satisfaciatur, a priori quidem exacte determinare defectus tentaminum directorum vetat, esse tamen unam alteramve ex illis indicationibus, ubi pharmakon hocce tempestive adhibitum, levamen miseris adferat, summa est probabilitas.

### §. 27.

Denique in recentioribus urinae, malisque a calculo provenienti bono cum effectu adhiberi *Spilanthem oleraceam* et in India occidentali, et Hispania, loco citato asseritur. Quod quidem admodum naturale, artisque medicae, ac therapiae principiis minime repugnans esse, ex iis, quae dicta sunt de efficacia hujus remedium, et ad quae mens humana jam ope ipsius analyseos chemicae facile assurgere potest, facile explicatur.

\*) Raimann Principia Pathologiae et Therapiae Specialis medicae. Viennae 1835. T. 2. p. 377

## §. 28.

Imo directa super hac re exstant tentamina. Apud Buchner enim legitur \*). Spilanthem Acmellam (Akmell Fleckblume) quae est una specierum Spilanthis, procrenentem in insulis orientalibus, ut remedium diaphoreticum, urinas, et calculos movens, in morbis renum adhibitum, quin etiam in hydrope commendatum fuisse, in usu esse modo etiam in insula Ceylon, sed quia planta haec apud nos solum artificialiter in domibus calefactis provenire videtur, adeoque charo pretio venditur, ab usu hujus recessum esse. — Nonnunquam fuisse loco Spilanthis acmellae, Spilanthem Pseudo Acmellam usui conversam, idem Buchner (loc. cit.) refert.

## §. 29.

Ars medica innititur experientiae. Hac solum via adscendit haec relictis primis incunabulis, altius semper; — nec alia unquam via perficienda. Somnia philosophematum in medicina solis sanae experientiae radiis fuerunt semper dissipata, ope eorundem et in posterum evanitura. Ingens est sine dubio corporum organicorum, ac anorganicorum numerus, in quibus insignis vis medicatrix abdita jacet. Sed quorum magna pars providentia supremi nominis, quod in medicinae etiam, non minus quam aliarum Scientiarum campo, curis acuit mortalia corda, nec torpere gravi patitur sua regna veterno, olim in lucem protrudetur. Felix humanum genus, si diversissimis morborum characteribus adeo consentanea opponere possit remedia, ut spes miseri, et exspectatio me-

---

\*) Vid. Repertorium für die Pharmacie. Nürnberg 1831. B. 38. H. 2, p. 362.



dici nunquam eludantur. — Sed sane pharmaca specifica, ridenda haec homoeopatharum, si nempe ita, ut Hahnemann velit sumantur, somnia, non via rudis empiriae, cardinales in medicina scientias anathomiam, physiologiam, et pathologiam excludendo, solique Symptomatum turbae non mentem, et acumen ingenii, quae hic supervacanea sunt, sed solum sensus externos, qui hic sufficiunt intendendo, verum rationis simul et empiriae ope sunt eruenda et introducenda. Materiam rationi ac Scientiae, ab his assimilandam largiatur empiria, istae autem in materias porrectas ab empiria, innixae arti chemicae, investigent, facemque physiologiae et pathologiae praeferentes, monstrent a priori viam, quae ad optatum ducat finem, monstrent Scopulos, ubi praecipue sit in tentaminibus instituendis metuendum.

18  
20  
22  
24  
26  
28  
30  
32  
34  
36  
38  
40  
42  
44  
46  
48  
50  
52  
54  
56  
58  
60  
62  
64  
66  
68  
70  
72  
74  
76  
78  
80  
82  
84  
86  
88  
90  
92  
94  
96  
98  
100

## Theses defendendae.

---

### I.

**T**yphus contagiosus a nonnullis perperam refertur ad febrim nervosam.

### II.

Catamenia insignem, et a Medico Forensi non negligendum, in conditionem psyches influxum exserunt.

### III.

Medorrhoea syphilitica nihil nisi Cattarrhus Urethrae.

### IV.

Effectus Narcoticorum nequaquam comparandus est cum illo Stimulantium.

### V.

Caries dentium difficulter sanatur.

### VI.

Dentes artificiales non tantum formositati, et elocutioni, sed integritati totius Organismi prosunt.

## VII.

Cerevisia rite parata, et bene conservata plurimis hominibus sanis, aegrotis et reconvalescentibus qua potus optimus commendandus.

## VIII.

Remedium specificum habere quodlibet Organismi Systema et Organon jure suspicamur.

## IX.

Systema Hahnemannianum pro abnormali Philosophiae Naturae foetu habendum.

## X.

Tumores viscerum abdominalium in febribus intermittentibus Chinae usum non semper vetant, quin imo huic soli interdum cedunt, hinc effectivi, a causalibus rite distingvendi.

## XI.

Vitae genus Temperamentum mutat.

## XII.

Imaginationes Matris foetum gestantis non mediocrem in characterem prolis psychicum et somaticum exerunt influxum.

*Spilanthes oleracea* (L.) Link.



Wm. H. Burdett  
1877

